

DCLXXV.
Collegium Urbanum regimini Card. S. Honuphrii, & S. Congregationis de Propaganda Fide additur,

Ex Regest. in
secret. brev.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex communis Pater, & Pastor circa Collegiorum, aliorumque piorum locorum quorumlibet, præsertim in Urbe, ad orthodoxam Fidem Propagandam institutorum, & per S. R. E. Cardinales sibi sanguine conjunctos, propriis eorum opibus, liberali manu ampliatorum salutem directionem, & felicem progressum ex demando sibi apostolica servitutis officio sollicite intentus ea, que desuper a se aliis facta fuisse competit, novumque, aliis justis ita suadentibus causis, alterat, & immutat, aliasque sui officii partes favorabiliter interponit, prout personarum, rerum, & temporum qualitate debite considerata, & jam pro ipsorum Collegiorum, & piorum locorum feliciori, & salubriori directione, & profectu id conspicit in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§.1. Alias siquidem cum Nobis innotuisset, quondam Magistrum Joannem Baptistam Vives dum viveret Presbyterum, Valentin. citerioris Hispaniæ in utraque Signatura Nostra Referendarium Prælatum Domesticum, & continuum Commensalem nostrum, ac quondam Isabellæ Claræ Eugeniæ, Infantis Hispaniarum, ac Belgicarum Provinciarum Principissæ, & Gubernatricis, apud Nos, & Sedem Apostolicam Ordinariam Residentem legatum, Zelo Domus Dei, animarumque salutis, ac propagationis, & tuitionis Sanctæ Fidei Catholicæ, aliisque piis rationibus, & ex devotione ductum, Palatium quoddam in Platea SS. Trinitatis Montis Pincii nuncupata de Urbe sub Regione columna intra sua notissima latera, Plateamque prædictam, ac vias publicas situm alias de li Ferratini, nuncupatum, quod tunc inhabitabat una cum suis membris, aurea, cortili, stabulis, remis, usibus, commoditatibus, adjacentiis, & pertinentiis universis, ad effectum in illo, illiusque situ Collegium, seu Seminarium unum Apostolicum Sacerdotum, seu Clericorum Secularium, qui saltem ad Sacros Ordines Majores, seu eorum ad minus aliquem infra annum, a die eorum in illo receptionis computandum, omnino promoveri deberent, & tenerentur ex omni gente, & natione defamendorum, & per Nos, Romanosque Pontifices Successores Nostros pro tempore existentes ad fidem prædictam in toto orbe terrarum, universisque illius partibus propagandam dilatam namque perpetuis futuris temporibus, & quousque electorum numerus completus, unus que Pa-

Refert fundacionem Collegii Apostolici a Jo. Baptista Vives factam;

stor, & unum Christi Ovile facta fuerint, duraturum, sub regulis, legibus, statutis, Constitutionibus, & Ordinationibus, Nobis, & Successoribus Nostri Romanis Pontificibus pro tempore existentibus benevisis adeundis, & stabiendis erigendi, instituti, & creandi, & pro illius dote seu dotis nomine, Alumnorumque in dictum Collegium seu Seminarium, pro tempore introducendorum, sustentationem viginti tria fidei, & triginta S. Bonaventuræ, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium non vacabilium de Urbe una cum omnibus, & singulis eorum fructibus, ac proventus in simul ad quingenta, & sexaginta quinque, vel circiter scuta monete romanæ ad rationem, decem Juliorum pro singulo scuto hujusmodi annuatim ascendunt, ac censum annuum aliorum centum quadraginta scutorum similium, aliis ad commodum quondam Diomedis Mussi Cremonen. pro sorte principali duorum millium scutorum similis monete super bonis quondam Joannis Francisci Ugolini per acta dilecti filii Rinaldi Buratti Curie Causarum Camere nostræ Apostolicæ Notarii sub die 29. Aprilis Anni millesimi sexcentissimi vigesimi quarti ad rationem septem pro centenariis, & anno constitutum, ac postmodum ad favorem dicti Joannis Baptistæ per acta quondam Laurentii Bonincontri Curie Capitolii Notarii sub die 7. Augusti ejusdem Anni venditum, & cessum, ac ad præsentem per dilectos filios natos, & heredes dicti quondam Joannis Francisci solvi solutum, & denique reliqua omnia sua bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura, pecuniarum summas, actiones, & credita, juraque, & alia quorumvis montium loca, que tempore sui obitus haberet, & possideret, seu ad eum quomodolibet spectare, & pertinere dignoscerentur in hac nostra Urbe, & illius districtu dumtaxat existentia, exceptis tamen tribus millibus scutis similis monete Romanæ ad eandem rationem Juliorum decem pro singulo scuto hujusmodi ex promptioribus suis bonis mobilibus, deponendis per eum alias in anima suæ refrigerium, Hospitali, & Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Monte Serrato nuncupatæ etiam de Urbe donatione causa mortis sub die prima mensis Decembris anni millesimi sexcentissimi vigesimi quinti per acta dilecti filii Ja. Moret Clerici conjugati Alboren. Diocesis in Archivio Romanæ Curie descripti Notarii legatis, necnon quoad vixerit, dicti Palatii cum prædictis membris, adjacentiis, & pertinentiis, usu, & habitatione, ac prædictorum, & aliorum quorumcumque locorum Montium, censuumque prædicti, & reliquorum omnium tam mobilium, quam immobilium, præsentium, & futurorum quovis nomine, nuncupatorum bonorum suorum usufructu, & de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum Testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium, & exequiarum suarum, juxta

statum

status sui exigentiam, & qualitatem demptis, Nobis, & Successoribus Nostri prædictis canonicè intransibus cum conditione tamen, quod si Collegium, seu Seminarium hujusmodi in dicto Palatio suisque membris, & pertinentiis cum applicatione dictorum bonorum pro illius dote, & Alumnorum in eo introducendorum sustentatione assignatorum vita nostra durante non fundavisset, crevisset, vel instituissemus, infra scripta donatio Successori Nostro immediate sub eadem conditione, & eo etiam in his deficiente, aliis Romanis Pontificibus Successoribus nostris, ut præfertur, canonicè intransibus in infinitum donec, & quousque intentio, & pia voluntas dicti Joannis Baptistæ modo præmissa suum plene sortita esset effectum, & non alias, nec alio modo facta esse censeatur, donatione perpetua spontanea, & irrevocabili, qua dicitur fieri inter vivos, per acta quondam Crisantis Roscioli Fulginaten. similiter Curie Causarum Camere Apostolicæ Notarii sub die prima mensis Junii millesimi sexcentissimi vigesimifexti dedisse, donasse, cessisse, & transulisse; & pro observatione Statutorum Urbis circa insinuationes similium donationum faciendas editorum sponte, omnique meliori modo, quo poterat, & debebat, dilectum filium substitutum dilecti filii Commissarii Generalis Camere nostræ prædictæ ad specialiter, & expresse donationem, cessionem, & translationem prædictas coram quovis Ordinario, vel alio Romanæ Curie Judge, & coram quibus opus esset suo nomine insinuandas, significandas, & notificandas Procuratorem suum fecisse, & constituisse; Nobisque præterea, ut tenorem dicti Instrumenti, donationemque, cessionem, & translationem hujusmodi, pro illarum majori sustentatione, & perpetua roboris firmitate, de apostolica potestate plenitudine confirmare, & approbare, omnesque tam formales, & substantiales, quam alios quovis tam juris, quam facti defectus, si qui quomodolibet in eisdem intervenissent, de ejusdem potestatis plenitudine supplere, & tollere vellemus, & dignaremur instanter supplicavisse postmodum vero dilectum filium Joannem Altovitum supradicti Commissarii Generalis tunc substitutum facultate procuratoria hujusmodi utentem coram tunc existente dictæ Curie Capitolii Primo Collaterali, Romanæque Curie Ordinario, & ad interponendum decreta in contractibus voluntariæ jurisdictionis a Nobis specialiter deputato iudice, donationem, cessionem, & translationem prædictas originaliter exhibuisse, insinuas, & significavisse, illasque ad plenam, & veram dicti iudicis notitiam juxta statutorum prædictorum formam, & tenorem deduxisse, & tandem illas per dictum iudicem pro Tribunali sedentem, causa cognita, admitti, & pro insinuatione haberi, & in actis publicis dilecti filii Joannis Baptistæ de Octavia

nis dictæ Curie Capitolinæ Notarii juxta formam dictorum statutorum registrari, auctoritatemque, & Decretum per eundem iudicem desuper quomodolibet necessaria, & opportuna interponi sub die sexta ejusdem mensis Junii obtinuisse.

§.2. Nos, qui catholicæ religionis incrementum, hæresumque extirpationem non solum sinceris desideramus affectibus, sed ad universarum gentium, & animarum salutem procurandam, ac fidem catholicam in universum mundum propagandam, tuendamque debitores Nos esse fatemur, ac propterea laudabili desiderio, & pia voluntate dicti Joannis Baptistæ, conditionique in dicto donationis instrumento appositæ satisfacere cupientes; Motu proprio, & ex certa scientia, & deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, donationem, cessionem, & translationem hujusmodi, omniaque in Instrumento desuper, ut præfertur, celebrato contenta, acceptata, illaque rata, & grata habentes eadem apostolica auctoritate perpetuo approbavimus, & confirmavimus, illisque perpetuæ, & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjecimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti, aliosque dictos substantiales defectus, si qui desuper forsan intervenierint, supplementis, & insuper ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, & Fidei Catholicæ incrementum unum in Palatio prædicto, suisque membris, & adjacentiis Collegium Pontificium, seu Seminarium Apostolicum sub invocatione Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, Pastorale Urbanum nuncupatum pro propaganda, ac tuenda catholica, & apostolica fide, in quo Sacerdotes, seu Clerici dumtaxat seculares, qui ad Sacros, & majores Ordines, seu saltem ad eorum aliquem infra annum ad minus a die eorum in hujusmodi Collegio, seu Seminario receptionis computandum promoveri omnino debeant, & teneantur ex omni natione, & gente recipi, ac bonis moribus, veraque pietate, & sacra doctrina, & aliis catholico homine dignis virtutibus ad effectum dictam fidem Catholicam apostolicamque in partibus infidelium, in quibus aliqui orthodoxæ fidei cultores remanserunt tuendi, & conservandi, necnon eandem fidem in eisdemmet partibus, quando recepta fuerit, totoque Terrarum Orbe propagandam, & dilatandam instrui, & pro dictæ fidei tuitione, incremento, dilatione, propagatione, vitæ periculum, & Martyrium si opus fuerit subire omnino debeant perpetuis futuris temporibus, & quousque electorum numerus completus, unusque Pastor, & unum Christi Ovile facta fuerint duraturum, auctoritate prædicta etiam perpetuo crevissimus, & institutus, illique sic erecto, & instituto pro ejus dote, & omnimoda illius œconomorum, Rectoris, Magistrorum, Præpositorum, & Alumnorum, in eo pro tempore existentium, sustentatione

A se postea ereditum, Urbanum appellatum privilegium suum;

viginti

viginti tria prædicta fidei, & alia triginta. S. Bonaventuræ, ac quinquaginta salis respective nuncupata loca montium prædicta una cum eorum fructibus, & proventibus ad quingenta sexaginta quinque vel circiter, scuta monetæ romanæ ad rationem prædictam pro singulo scuto hujusmodi annuatim, ut acceperamus, ascendencia, & præterea censum annuum dictorum centum quadraginta scutorum similium, ut præfertur, fortis principalis duorum millium scutorum monetæ similis super bonis dicti quondam Joannis Francisci Ugolini ad rationem septem pro centenariis, & anno dicto Joanni Baptistæ debitum, & per dilectos filios natos, & hæredes dicti quondam Joannis Francisci nunc solvi solitum, & deinde reliqua omnia dicti Joannis Baptistæ bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura, juraque, actiones, & pecuniarum summas, ac credita dictorum, & quorumvis aliorum montium loca, & jura, quæ dictus Joannes Baptistæ tempore sui obitus haberet, & possideret, seu ad eum quomodolibet spectare dignoscerentur in Urbe prædicta, & in illius districtu dumtaxat consistentia, tribus tamen millibus scutis monetæ romanæ prædictæ hospitali, & Ecclesiæ Beatae Mariæ de Monte Serrato de Urbe ex promptioribus suis mobilibus bonis defumendis, ut præfertur, per eum in refrigerium animæ suæ donatis, demptis, & exceptis, necnon Palatii prædicti cum omnibus suis membris, & pertinentiis quoad dictus Joannes Baptistæ vixisset usu, & habitatione dictorumque, & aliorum quorumcumque locorum montium, ac census prædictorum, reliquorumque omnium, & aliorum tam mobilium, quam immobilium, tum præsentium, & futurorum quovis nomine nuncupatorum bonorum suorum usufructu, ac de scutis centum auri in auro ad beneplacitum suum Testamento disponendi facultate sibi reservatis, expensisque funeralium, & exequiarum suarum demptis similiter perpetuo assignavimus, concessimus, appropriavimus, & incorporavimus.

Et sique reglem tribus Canonibus Patriarchalium Ecclesiarum cognominatam.

§. 3. Et ut dicti Collegii, seu Seminarii de propaganda, ac tuenda fide conservacioni, bonoque regimini, & gubernio consideremus tres Canonicos actu Præbendatos, ex tribus Ecclesiis Patriarchalibus Urbis, illarumque Capitulis videlicet ex Lateranen. unum, ex dicti Principis Apostolorum alterum, ac ex Sanctæ Mariæ Majoris nuncupata reliquum singulos nempe ex singulis Patriarchalibus Ecclesiis hujusmodi quoad personaliter tantum, apud easdem Patriarchales Ecclesias residerent, & in illis actu Præbendati forent, & non amplius nostro, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium arbitrio eligendos, & declarandos, prout tunc Julium Zampolinum Lateranen., ac Magistrum Marcum Aurelium Maraldum Cæsenaten. in utraque Signatura nostra Referendarium Principis Apostolorum, & Pompejum de An-

gelis Romanum Sanctæ Mariæ Majoris prædictæ respective Patriarchalium Ecclesiarum Canonicos actu Præbendatos, & personaliter apud eas residentes in Administratores, & Directores, Gubernatores, & Æconomos dicti Collegii, seu Seminarii, ita quod iis, seu eorum altero, vel duobus, ex eisdem deficientibus, seu Canonicatus, & Præbendas in dictis Patriarchalibus Ecclesiis ex quavis causâ obtinere cessantibus, statim alius ex Capitulo dictæ Patriarchalis Ecclesiæ, in qua ultimo loco defuisset Canonicus, etiam actu Præbendatus, in ejus locum sub eadem limitatione per Nos, & Successores nostros dumtaxat subrogaretur pariter perpetuo constitutum, & deputavimus, illisque sic constitutis, & deputatis, Rectores, & Præceptores, Magistros, Officiales, Æconomos, & alias personas in dicto Collegio, seu Seminario deputandi, illosque amovendi, & alios in eorum loco sufficiendi, ac Statuta, Ordinationes, & Decreta quæcumque licita tamen, & honesta, Sacrisque Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus minime adversantia, vel repugnantia faciendi, & edendi, ac illa quoties pro rerum, & temporum qualitate, seu alias expedire viderentur immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, interpretandi, ac alia ex integro condendi, itaut ubi edita, immutata, correctâ, moderata, reformata, & condita forent, eo ipso apostolica auctoritate confirmata, & approbata viderentur, plenam, & liberam facultatem, & omnimodam auctoritatem perpetuo concessimus, & elargiti fuimus: ac insuper Collegium, seu Seminarium hujusmodi, illiusque Æconomos, Rectores, Magistros, Præceptores, & Alumnos pro tempore existentes, illorumque domesticos Officiales, ac Ministros, ac illius Collegii, seu Seminarii bona mobilia, & immobilia præsentia, & futura quæcumque qualitatibus, & quantitatis existentia ab omni jurisdictione, dominio, superioritate, & potestate pro tempore existentium dilectorum filiorum Vicarii, Senatoris, Conservatorum, & Reformatorum, ac Rectoris Studii Generalis dictæ Urbis, ac Ordinariorum locorum, aliorumque Judicum, & Officialium quorumcumque tam in ipsa Urbe, quam extra eam, & ubicumque constitutorum exemimus, & liberavimus, ipsisque Collegio, seu Seminario, Rectori, Scholaribus, Præceptoribus, Magistris, Æconomis, Officialibus, Ministris, & personis, ut quibuscumque privilegiis, & exemptionibus, libertatibus, facultatibus, gratiis, & indulgentiis, quibus Studium generale dictæ Urbis, & alia Germaniæ, Angliæ, & Græcæ Nationum, illorumque Rectores, Scholares, Præceptores, Magistri, Æconomi, Officiales, Ministri, & personæ quovis modo utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum non solum ad eorum instar, sed æque principaliter, & pa-

Datum: Card. Protocorem, ac Judicem.

Erectamque in eo Ecclesiam a Card. S. Honuphrii & institutosque nonnullos Alumnatus.

& pariformiter in omnibus, & per omnia uti, potiri, & gaudere valeant, pariter perpetuo de speciali gratia indulsumus; eidemque Collegio, dilectum filium nostrum Martium S. Angeli in Foro Piscium S. R. E. Diaconum Cardinalem Ginnettum nuncupatum per Chirographum nostrum in Protectorem, & Judicem, etiam private quoad quoscumque alios deputavimus successively ad protegendum, & majori cum decore hoc tam pium, tamque commendabile ejusdem Joannis Baptistæ Vives opus conservandum, & perpetuandum, ut que ipsum Palatium crebrius frequentaretur, & fideles quilibet hoc medio magnam ipsius Joanni Baptistæ Vives pietatem admirantes, ad prædictum augendum, ac alia pietatis, & charitatis opera, etiam ex integro fundanda jugiter allicerentur in idem Palatium Congregationem S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide, qui illic eorum Congregationem facerent introduximus, & institutum, eisque Collegium, seu Seminarium prædictum plurimum in Domino commendavimus. Hincque, ac etiam ex singulari, & admodum propenso ejus erga Deum, ac pietatis, & misericordiae opera affectum permotus dilectus filius noster Antonius tunc tituli Sancti Honuphrii, ad præsens vero S. Petri ad Vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis Sancti Honuphrii nuncupatus noster secundum carnem frater germanus, major Pœnitentiarius, & Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, uniusque ex Cardinalibus Congregationis prædictæ in dicto Palatio, seu juxta illud Ecclesiam proprio ære construi curavit, & postea Nos ejus votis benigne annuentes in prædicto Collegio, seu Seminario primo unum pro duodecim ex Georgianorum, & Persarum, ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, ac Cophatarum, duobus videlicet pro qualibet oriundis, & subsequente alium Alumnatum aliorum tresdecim Alumnorum, septem pro Æthiopicæ, seu Abissiniæ, sex vero pro Bragmanæ Indiarum, Orientalium Nationum respective Alumnis sub certis modo, & forma tunc expressis respective ereximus, & institutum, eisque sic erectis, & institutis pro Alumnorum hujusmodi sustentatione, aliorumque onerum supportatione redditus annuos ad annua scuta mille, & septingenta monetæ Romanæ ascendentes in tot locis montium non vacabilium de Urbe per dictum Antonium Cardinalem assignatos, & tunc expressos, etiam perpetuo concessimus, & assignavimus, jus nominandi Alumnos prædictos eidem Antonio Cardinali, & certis aliis personis tunc expressis similiter perpetuo reservavimus, & præterea dicto Antonio Cardinali quoad vixerit, & eo defuncto prædictæ Congregationi de Propaganda Fide amborum Alumnatum prædictorum omnimodam protectionem, regimen, ac gubernationem, plenam superintendentiam, ac facultatem deputandi Rectorem dictorum duorum Alumna-

tum per ejus patentes Rectorem pro tempore dicti Collegii, cujus curæ immediate subessent eorum Alumni, quique prædictæ Congregationi, seu ab eo deputando singulo trimestri rationem dati, & recepti reddere deberet, eadem auctoritate perpetuo eidem tribuimus, & impertiti fuimus, aliaque decrevimus, & statuimus, prout in diversis nostris super Collegii, seu Seminarii, & Alumnatum hujusmodi erectionibus sub Kal. Augusti Anno Quarto, & decimo Kalend. Aprilis Anno Decimoquinto, ac sextodecimo Kalend. Julii Anno Decimosexto Pontificatus nostri respective expeditis Literis, ac etiam in Chirographo prædicto, cujus, & quarum totos, & integros tenores, etiam veriores, ac data, præsentibus haberi volumus pro expressis uberius respective continetur.

§. 4. Cum autem, sicut accepimus idem Collegium, seu Seminarium de Propaganda Fide ad præsens sumptibus, & impensa ejusdem Antonii Cardinalis in pietatis, & misericordiae operum exercitio continuatis coempta tota domorum eidem Collegio undecumque contiguarum, seu coherentium Insula, dirutaque earum majori parte, in qua Collegium valde ab eodem Antonio Cardinali ampliatur, & magis insignis efficitur splendida, & insigni, copiosiorique scholarium nuncupato capaci a fundamentis constructione reddatur, ideoque Collegium, seu Seminarium hujusmodi, quod antea paucis constabat Alumnis ob auctum illorum ex erectione duorum Alumnatum prædictorum intuitu ejusdem Antonii Cardinalis per Nos, ut præfertur, facta, numerum majori administratione, & gubernio, & aliqua speciali circa qualitatem illius Rectoris pro tempore deputandi provisione, & declaratione opus habeat, utilitatisque, & fructuosos regimini Collegii, seu Seminarii hujusmodi plurimum conducere existimetur, ut idem Collegium, sive Seminarium, eique successively additi Alumnatus prædicti ad eorum Collegiales, & Alumnos, ac Ministros in pace, & quiete convovendum ab uno tantum Protectore, Rectore, Gubernatore, & Superintendente regantur, gubernentur, & administrantur, idque a nemine melius, & fructuosius præstari posse noscatur, quam a dicto Antonio Cardinale, ac Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide hujusmodi.

§. 5. Motu itaque, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus ex voto dilecti filii nostri Julii tituli Sanctæ Susannæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis Sacchetti nuncupati, ac dilectorum etiam filiorum quorundam Romanæ Curie Prelatorum a Nobis desuper ad id specialiter deputatorum omnimodam, atque totalem facultatem, & auctoritatem per priores nostras Literas tribus Canonibus Ecclesiarum Patriarchalium, prædictarum circa administrationem, directionem

Causis quovis referentibus Collegii gubernium immutandi.

Removet præfatos tres Canonicos.

rektionem, & gubernium Collegii, seu Seminarii predicti, illiusque Rectoris, Praeceptorum, Magistrorum, Officialium, oconomorum, & aliorum Officialium, & circa confessionem Statutorum, & Ordinationum hujusmodi, ac alias quomodolibet per Nos, ut praefertur, concessas a modernis, & ad praesens deputatis Canonicis dictarum Ecclesiarum Patriarchalium per praesentes perpetuo avocamus, & auferimus, ac Canonicos Patriarchalium Ecclesiarum hujusmodi in Administratores, Directores, Gubernatores, & oconomos Collegii, seu Seminarii, illiusque Rectoris, Praeceptorum, Magistrorum, Officialium, oconomorum, & aliarum personarum, ac bonorum, & jurium hujusmodi de cetero assumi prohibemus, facultatemque, & auctoritatem eligendi, deputandi, ac amovendi Alumnos, seu Collegiales Collegii, seu Seminarii predicti cum bonis dicti Joannis Baptistae Vives, ut praefertur, fundatos, & dotatos, Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus nostris pro tempore existentibus, etiam perpetuo referamus.

Tantumque gubernium S. G. de Propaganda hinc tribuit.

§.6. Ipsius vero Collegii, seu Seminarii, illiusque Rectoris, Praeceptorum, Magistrorum, Officialium, oconomorum, Alumnorum, seu Collegialium, & aliarum personarum, ac bonorum, reddituum, jurium, & actionum quarumcumque omnimodam administrationem, directionem, superintendentiam, regimen, & gubernium dicto Antonio Cardinali, quoad vixerit per eum communicato, ut superamus, consilio cum Congregatione dictorum Cardinalium ita tamen, ut negotiis gravioribus gubernium, & regimen Collegii, seu Seminarii hujusmodi concernentibus dictus Antonius Cardinalis, & ipsa Congregatio respective Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes consulere, illorumque participes facere omnino teneantur, dicta auctoritate privative tam quoad Canonicos predictos, quam quoscumque alios, etiam quavis dignitate, sive ecclesiastica, sive laicali predictos, & quantumlibet privilegiatos, & speciali nota dignos, qui illos, & illa quomodolibet pretendere possent, pariter perpetuo committimus, & demandamus, jurisdictionemque, & illius plenum exercitium quoad causas, & lites predicti Collegii in eodem Chirographo contentas Judici predictae Congregationis de Propaganda fide, vel alteri eidem Antonio Cardinali donec vixerit, beneficio per ipsum Cardinalem deputando cum facultatibus in eodem Chirographo expressis committimus, ipsique Antonio Cardinali quoad vixerit quaecumque statuta, & Ordinationes prosperum regimen, & gubernium Collegii, seu Seminarii, illiusque ministrorum, & personarum, ac bonorum hujusmodi quomodolibet concernentia, ac alias utilia, & necessaria cum simili consilio Congregationis Cardinalium predictorum condendi, & promulgandi,

& tam Antonio Cardinali predicto quoad vixerit cum simili ut speramus, Communicatione, quam eo defuncto, ipsi Congregationi Cardinalium quoties rerum, & temporum qualitas exigeret, ac alias expediens videbitur statuta, & Ordinationes hujusmodi alterandi, corrigendi, modificandi, & declarandi, seu alia ex integro condendi, quae statim, atque condita, & edita fuerint omnes, quos quomodolibet concernent, ad eorum observationem sub poenis in eis infligendis, ardent, & adstringant, non secus, ac si apostolica auctoritate, motuque pari specifico confirmata fuissent, plenam, & liberam auctoritatem, & facultatem concedimus, & impertimur. Insuper in Rectorem Collegii, seu Seminarii hujusmodi, semper unum Presbyterum secularem, vel regularem iudicio dicti Antonii Cardinalis, ut praefertur, donec vixerit, & dicto Antonio Cardinali defuncto Congregationis Cardinalium hujusmodi habitum, & idoneum, qui ad libitum, & mutuum liberum Antonii Cardinalis, & respective Congregationis hujusmodi duret, & amoveri possit, deputandum, & eligendum fore, & esse in Alumnos vero seu Collegiales tam Collegii, seu seminarii, quam utriusque Alumnatum hujusmodi personas talis aetatis, ut intra annum a die eorum receptionis ad Sacros Ordines, seu saltem eorum aliquem promoveri possint, nisi alias dicto Antonio Cardinali, & Congregationi predictae ac aliis jus nominandi & eligendi habentibus, ut supra expedire videbitur circumscripta quoad hoc Litterarum Apostolicarum erectionis Alumnatum hujusmodi dispositione, etiam eligi, & nominari debere statuimus, & ordinamus.

Claufulas appoint.

§.7. Decernentes praesentes ullo unquam tempore, sive ex eo, quod causa, propter quas illa emanarunt verificata, & approbata, ac Canonici predicti, & alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere pretendentes ad id vocati non fuerint, sive alias ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus vel controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci non posse, sicque in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Curiae Camerae Apostolicae Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublatis eis, & eorum cuilibet quavis alias iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & definiti debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scierit, vel ignoranter contigerit attentari.

§.8. Quo circa venerabilibus fratribus nostris Oltien., & Portuen. Episcopis ac dilecto filio Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori per apostolica scripta motu pari mandamus quatenus ipsi

Executores deputat.

ipfi, nec duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Antonii, ac aliorum Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque circa illa efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem praesentes ac in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari, ac Antonium, & alios Cardinales Congregationis hujusmodi illis pacifice frui, & gaudere, non permittentis eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras, & poenas ipsas, legitimis super his habendis Procellibus, & iteratis vicibus aggravando, invocato, etiam, hoc si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Derogat contrariis.

§.9. Non obstantibus priori nostra voluntate, prioribusque literis nostris predictis, ac nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quae in singulis literis, ac Chirographo nostro predictis volumus non obitare, contrariis quibuscumque.

Seu si quibus communiter, aut divisim ab Apostolica sit Sede Indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non tacentes plenam, & expressam de Indulto hujusmodi mentionem.

Claufulas penales addit.

§.10. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae avocationis, ablationis, prohibitionis, reservationis, communicationis, mandati, concessionis, impartitionis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum die 16. Maii 1641. An. XVIII.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quadagesimo primo, 17. Kalen. Junii, Pontificatus nostri Anno Decimo octavo.

DCLXXVI.

Constitutio super praeservatione Jurium Sedis Apostolicae, & inferiorum Ecclesiarum, personarumque Ecclesiasticarum a quibuscumque praedjudicialibus.

Consonat prohibitio Sixti V. Alienationis Civitatum, Castrorum, aliorumque locorum, & Bonorum, etiam jurisdictionalium ad eandem Apostol. Sedem spectantium, de Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

qua nuper in Rubric. Const. DLI. Urbani VIII. ut supr. seq. 117.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in Sacra Beati Petri Sede a Domino constitutus non valens curam suae pastoralis sollicitudinis in gregem sibi commissum personaliter in qualibet mundi parte exercere, Legatos etiam de Latere, ac Nuntios, aliosque Ministros Apostolicos ad diversas Provincias, & Regna, prout cognoscit in Domino expedire, consuevit destinare, ut vices suas supplendo, facultatesque sibi concessas non excedendo, errata corrigant, & commissis sibi populis iustitia, & gratia incrementa ministrent, juraque Sedis Apostolicae, jurisdictionem, immunitatem, & libertatem ecclesiasticam tueantur, ac de gravioribus Summum Pontificem reddant certiores, remediaque, ac mandata opportuna apostolica expectent, & exequantur.

Exordium.

§.1. Cum autem, ut accepimus, a nonnullis pretendatur, quosdam ex legatis sive natis, sive aliis etiam de Latere, etiam S. R. E. Cardinalibus, Nunciisque, ac aliis ministris Apostolicis quovis nomine nuncupatis, ac etiam ex Rectoribus, seu Gubernatoribus Provincialium, Civitatum, & locorum ditionis temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae per Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam per Nos missis, ceterisque officialibus Camerae Apostolicae, & Romanae Curiae, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam Vicecancellariis, & Camerariis, ac feudatariis quantumlibet qualificatis, & individua mentione dignis, ac etiam Baronibus, aliisque jurisdictionem quomodolibet exercentibus aliqua eidem Sedi, aut jurisdictioni, vel immunitati, seu libertati Ecclesiasticae, Ecclesiisque, & personis Ecclesiasticis praedjudicialia praeter, aut contra facultates sibi concessas nedom fecisse, declarasse, concessisse, ac decrevisse, seu alias quomodolibet disposuisse, sed etiam praedicta, & quaecumque alia eis praedjudicialia a quibuscumque aliis, sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem apostolicam non habentibus, commissa, & facta, oneraque super Ecclesiis, ac earum bonis, & juribus, earumque fructibus absque sufficienti facultate apostolica imposita, transgressionesque, & excessus contra sacrorum Canonum, Constitutionum Apostolicarum, & Conciliorum universalium dispositionem, contra Sedem Apostolicam, jurisdictionem, immunitatem, aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, earumque bona, & jura quaecumque quomodolibet commissos, & perpetratos tolerasse, & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem praedjudicialibus consensisse, immo ex ipsorum

Causes hujusmodi.

Legati

Legatorum, Nuntiorum, & Ministrorum apostolicorum, ac etiam respective Gubernatorum, Provinciarum, Civitatum, & locorum ditionis temporalis ejusdem Sedis Apostolicæ, & quorumcumque aliorum ipsius officialium, seu cujuslibet eorum asserta scientia, taciturnitate, tolerantia, vel consensu, ipsorumque præjudicialium observantia inferri posse tam in prædictis, quam in cæteris quibuscumque præjudicialibus, nedum ad præsumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & cujuslibet eorum, ac nostrum, sed etiam ad præsumendum super eis, & eorum quolibet fuisse concessum beneplacitum apostolicum, etiam si Prædecessores nostri prædicti multoties ea via, qua licebat, se opposuerint, & Nos quoque contradixerimus, concessiones quoque, & gratias quascumque, ac investituras etiam Civitatum, Terrarum, Castrorum, aliorumque locorum, & bonorum etiam jurisdictionalium, ad eandem Apostolicam Sedem, seu ad Ecclesias inferiores respective spectantium, ab aliquibus ex eisdem Prædecessoribus nostris, vel a Prælatibus, seu Rectoribus Ecclesiarum inferiorum prædictarum quomodocumque, & quandocumque ad certas vitas, aut generationes, seu lineas, vel ad certum tempus jam elapsum, illorumque, ac illarum pignorationes, seu in pignus dationes, ac alienationes cum pacto redimendi factas ex prædicta asserta scientia, & tolerantia Sedis Apostolicæ nedum longius protrahi, sed etiam perpetuari, aliaque indebita, & injusta prætentantur in prædicta Sedis Apostolicæ, jurisdictionis, immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, aliarumque Ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum grave scandalum, animarumque ipsorum prætententium, transgredientium in vel occupantium, seu usurpantium, ac in censuris eo ipso incursum inordescerentium perniciem;

Præservationi Jurium Sedis Apost. consulti hic Pont.

§.2. Propterea Nos, sicut ex onere pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apostolicæ, jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, & personarum ecclesiasticarum, quantum Nobis ex alto conceditur, prout iidem Prædecessores nostri omnibus præjudiciis obviam ire exoptarunt, consulere volentes, attendentesque, quod prædicti Legati, Nuntii, & Cardinales, etiam Vicecancellarii, & Camerarii, alique omnes, & singuli prædicti sine speciali Papæ mandato nulla eidem Sedi, & Ecclesiis, aliisque prædictis præjudicialia unquam tacite, vel expresse facere potuerunt, vel possunt, quodque ob locorum distantiam, ac negotiorum molem, quibus Sedes Apostolica premitur, hujusmodi præjudicialia non fuerunt Summo Pontifici pro tempore existenti, minusque ejus Successoribus nota saltem cum suis circumstantiis præjudicium inferentibus, & aggravantibus,

quodque confirmationes, approbationes, & beneplacita Papæ, præsertim ubi actum fuit, vel agitur de præjudicio perpetuo, semper consueverunt in scriptis expediri, præcipue per Literas Apostolicas sive sub plumbo, sive in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, prout etiam Pontificatu nostro expediuntur, ideo si in registris apostolicis, quæ fideliter custodiuntur, & aservantur, prædictorum quorumcumque præjudicialium approbationes, confirmationes, vel beneplacita Apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibentur originalia Literarum Apostolicarum, aut transumpta juxta formam Constitutionis nostræ desuper alias editæ sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub die 1. Junii 1635. Pontificatus nostri Anno duodecimo, inde deducitur, neque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, nec Nos unquam præjudicialia approbasse, vel confirmasse, beneplacitaque apostolica super præjudicialibus numquam concessisse: ac denique quod Romani Pontifices Prædecessores nostri pro damnandis, impugnantibus, & evitandis omnibus, & singulis præjudicialibus, illisque, & prætentis tolerantibus, conniventibus, consensibus, possessionibus, intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, observantiis, & præscriptionibus quibuscumque impediendis, interrumpendis, penitusque avertendis, & excludendis hætenus consueverunt quolibet anno in die Cœnæ Domini facere processus generales, Bullas ejusdem Cœnæ nuncupatas, & publicare contra quoscumque, prout etiam Nos fecimus, & publicavimus, idcirco etiam prædicta omnia, & singula eidem Sedi Apostolicæ, jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati ecclesiasticæ, seu Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, earumve bonis, juribusque, ac fructibus quomodolibet præjudicialia, per prædictos, & alios quoscumque contra, aut præter facultates, eis concessas, facta; eo ipso fuerint, & sint nulla, & invalida.

Omnis præjudicialia Sedis Apostolicæ Romanæque Ecclesiæ de. decretis, statutis, indulta &c. irritat, & revocant.

§.3. Nihilominus abundantiori cautela uti volentes, omniumque, & singulorum quomodolibet præjudicialium quandocumque, & a quibusvis, ac ex quacumque causa, & quovis modo factorum, & gestorum, ac inde sequutorum quorumcumque, cæterorumque hic de necessitate forsitan exprimendorum, ac inferendorum tenores, etiam majores, & veriores pro plene expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, motique ex prædictis causis, aut illarum altera, seu ex aliis justis, & rationabilibus animam nostram moventibus, ad quarum omnium, & singularum veritatem, Ecclesiam Romanam præfatam, Sedemque Apostolicam, & quemcumque alium nunquam teneri volumus, ultra quascumque revocationes hætenus factas, hac nostra perpetua constitutione declaramus, omnia, & sin-

& singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias, & pacta, etiam nomine ejusdem Sedis Apostolicæ inita, venditionesque, & alienationes officiorum, aliorumque ejusdem Sedis jurium, & quascumque alias dispositiones quocumque nomine nuncupata, eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscumque aliis Ecclesiis, & locis piis, ac personis Ecclesiasticis, seu jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quomodolibet præjudicialia, & præjudicialia a quibuscumque Legatis etiam de latere, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Nunciis, seu aliis Ministris Apostolicis, Camerariisque Apostolicæ, & Romanæ Curie Officialibus, & ministris etiam Cardinalibus, Vice-Cancellariis, & Camerariis, & respective Rectoribus, & Gubernatoribus, Feudatariis, Baronibus, & cæteris jurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliisque præfatis quantumlibet qualificatis, & individua expressione dignis, quandocumque, qualitercumque, & quomodocumque præter, vel contra facultates eis concessas facta, & gesta, factaque, & gestaque, aut alias quovis modo ab eis emanata, & emanatas hætenus, etiam per modum edicti, declarationis, constitutionis, pragmaticæ, reformationis, ac prohibitionis, etiam generalis, ac alias quomodolibet, etiam cum clausula, salvo, vel reservato Sedis Apostolicæ beneplacito, vel fortasse etiam cum intentione data, vel promissione etiam facta illud ab hac Sancta Sede, seu a Romano Pontifice, aut etiam a Nobis impetrandi, etiam cum præsentia illarum executione, & observantia quantumlibet longissima, ac aliis inde quomodolibet sequentibus quibuscumque, etiam in favorem, seu intuitu, vel contemplatione Imperatoris, Regum, aliorumque Principum etiam Supremorum, etiam laicorum, nationum, Rerumpublicarum, Provinciarum, Regnorum, aliorumque Dominorum, & Officialium quorumcumque, vel Civitatum, Universitatum, etiam Studiorum generalium, Collegiorum, Religionumve, seu Militiarum, Ecclesiarum, & Monasteriorum quorumcumque, Ordinum, vel aliorum quorumvis etiam speciali nota dignorum ex quacumque ratione, occasione, vel causa quantumlibet pia, publica, favorabili, seu privilegiata, etiam transactionis, vel concordia, seu belli, treguæ, vel pacis etiam universalis, & ad majus malum, vel scandalum, ut asseritur, evitandum, seu ex aliis rationibus, & causis, etiam omnibus insimul concurrentibus, ac alias individua expressionem requirentibus.

Tolerantias, taciturnitates, & conniventias &c.

§.4. Necnon quascumque tolerantias, taciturnitates, conniventias, permissiones, consensum, declarationes, executiones, approbationes, vel confirmationes expresse, vel tacite dicto, vel facto, ac alias quomodolibet præter, aut contra suas facultates ab ipse Legatis, Nun-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

ciis, ac Ministris Apostolicis, & respective Rectoribus, & Gubernatoribus, ut asseritur, factas, seu habitas, vel respective præstitas, in quibuscumque actibus eidem Sedi Apostolicæ, seu jurisdictioni, immunitati, seu libertati ecclesiasticæ, aut Ecclesiis, vel personis ecclesiasticis quomodolibet præjudicialibus per quoscumque, alios, etiam laicos quantumlibet, ut præmittitur, qualificados, quavis auctoritate, & potestate, etiam Imperiali, Regali, aut quacumque alia individua expressionem requirentes fungentes, etiam sub prætextu quod Bullæ, seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, aut contrario usu etiã decennali, & quantumlibet longissimo, ut prætentur abrogatæ, vel sub prætextu Constitutionum, Literarum, seu dispositionum Apostolicarum, de quarum existentia per canonica documenta Apostolica non constat, seu revocate, aut non sufficientes sunt, ac etiam in permittendo editionem, seu impressionem librorum eidem Sedi, aliisque præjudicialium, seu continentium opinionum damnatas, vel in admittendo, seu exequendo minus legitimam earundem Constitutionum, Literarum, seu dispositionum Apostolicarum interpretationem, vel faciendum, aut approbandum ea, quibus disciplina ecclesiastica quomodolibet enervatur, seu leditur, factis, & gestis.

Impedimenta Legatis Apost. illata &c.

§.5. Molestias quoque, vexationes, & impedimenta quocumque Legatis, Nunciis, vel aliis Ministris, & Officialibus Apostolicis, per quoscumque etiam laicos cujusvis status, gradus, conditionis, qualitatis, dignitatis Ecclesiasticæ, ut præmittitur, existentes quomodolibet factas, & illatas, factaque, & illata, tam eorum ingressum in provincias sibi commissas denegando, quam ne suas facultates libere in illis exercerent, impediendo, ac eos ab illis expellendo.

Contributio- nes, Gabellas, &c.

§.6. Necnon quascumque contributiones, collectas, gabellas, militum hospitalium, decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera, & gravamina quacumque super Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, præsertim vacantibus, vel personis ecclesiasticis, earumque, vel eorum bonis, seu fructibus etiam prætextu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu retinendi, ac alias quomodolibet per laicos præfatos, & quoscumque alios quomodolibet qualificados absque sufficienti facultate Apostolica impostas, & impostas, exactasque, & exactas, etiam a sponte dantibus, vel contribuentibus.

Molestationes Personarum ecclesiasticarum.

§.7. Item molestationes, perturbationes, acta, carcerationes, executiones, & attentata quacumque a quibusvis laicis, etiam Officialibus quomodolibet qualificatis, contra personas ecclesiasticas, vel Ecclesias, seu cujuslibet earum bona, sive jura, vel fructus, tam civiliter, quam criminaliter, & alias quomodolibet quantumcumque hætenus facta, gesta, & commissa, etiam de facto executioni, etiam